
IOANNIS BAPTISTÆ GVIDICCIONI
PATRITII LVCENSIS
AD SS. D. N.
INNOCENTIVM DECIMVM
PONT. OPT. MAX.
ORATIO
HABITA
IN PVBLICO PATRVM EMINENTISSIMORVM
CONSISTORIO
Dum apud eundem Sanctissimum
PRO REPVBLICA LVCENSI
ORATORIS
Munere fungeretur, & obedientiam præstaret.
VNA CVM NICOLAO GRATTA,
ET IOANNE FRANCISCO BOCCELLA
PATRITIIS LVCENSIBVS.
vj. Idus Aprilis MDCXLV.






ROMAE, Typis Ludouici Grignani. MDCXLV.

SVPERIORVM PERMISSV.



ORATIO.





AVSTISSIMA illa vox, ipſique propemodum Cælo, ne dum Chriſtianæ Reipublicæ ſummoperè iucunda, quæ ad ſupremum Pontificiæ Maieſtatis faſtigium euectum Te nunciabat Orbiterrarum BEATISS. PATER, vbi primum ad Rempublicam noſtram Lucenſem detulit ſeſe, non hic ego facilè dixerim, quantam nouæ iucunditatis lucem affuderit antiquiſsimæ LVCI noſtræ. Ecquis enim eius diei plaudentis lætitiæ ſenſus omnium Senatorum, Ciuium, totiusq. Populi Lucenſis? Quæ voluptas, & gaudium animorum? Quæ gratulationum voces? Cum ſua ipſorum vota nuncupata ſimul, ac ſoluta feliciter animaduerterent. A Deo namq. Optimo Maximo poſt Sanctiſſ. Vrbani Octaui migrationem in Cælum, aſſiduis precibus Reſpublica noſtra flagrantiſſimè poſtulabat, vt his temporibus tot bellorum fluctibus intu-

mescentibus, cladesq. funestissimas portendentibus ille summus Religionis Antistes renunciaretur, qui pietate in Deum, ardore, atque constantia in eadem Religione propaganda, Charitate in homines, in se ipsum Imperio, ac vitæ integritate inter mortales conspicuus præ cæteris haberetur. Ille, in quo prudentiam, animiq. sapientem moram in rebus arduis aptè, opportunèq. ponderandis, in prouidendis verò capacem omnium comprehensionem, in animis Virorum Principum pertractandis summã solertissimi pectoris dexteritatem admiraremur. Ille demum, qui intestina tumultuantium populorum bella comprimeret, Pacemq. vnus aliquãdo tandem sapientissimè componeret. Et quam verè in Te vno BEATISSIME PATER hæc omnia, quin etiam longè maiora, ac sublimiora cumulatissimè suspiciuntur, summisq. laudibus passim euehuntur in Cælum? Quare mirari iam quisque mittet, cur Respublica nostra summo Te Pontifice renunciato, præcipuo, atque incomparabili lætitiæ sensu perfusa fuerit. Quem enim illa ad se conseruandam, tuendam, ornandam aut aptiorem, aut meliorem in terris à Deo Optimo Maximo, summoq. beneficiorum largitore flagitare, nedum consequi potuisset? Gratias propterea quam maximas hoc potissimum nomine Immortali Deo Respublica iam egit, semperq sese acturam vnanimi Ciuium omnium consensu pollicetur, quod eum Pontificem terrarum Orbis fuerit sortitus, qualem omninò decet esse communem totius Ecclesiæ Pastorem, supremum Christianæ Reipubl. moderatorem, Principumq. parentem

omnium

omnium amantissimum. Magnitudinem verò istam Tuam, maiestate plenissimam, & Cælo parem, Tibi ex animo gratulamur omnes: neque vni tantum Tibi, sed huic omnium Vrbium Principi Romæ, Ecclesiæ, Reipublicæ Christianæ, Orbi vniuerso fælicissimis prorsus auibus gratulamur inauguratam. Hoc videlicet vnum erat omnibus in votis, Pontificem Innocentem sortiri. Hoc autem certissimè spondet Pontificium Innocentij à Tè optatum nomen, hoc gentilitia Pamphilij appellatio, hoc stemmatis Tui Columba, Olea, aurea lilia, Pacis, Amoris, Fæcunditatis, Innocentiæ, argumenta. Hinc mirum non est, cur sedes Tibi vni Roma deberetur, in quà retrogrado characterum ordine amor ille se recognosceret, qui in Pamphilio nomine omnes ad se allicit humanissimè. Ad ea interim, quæ propriæ Tua sunt BEATISSIME PATER iam nostra festinat Oratio. Nouimus enim Te ad omnia summa ita natū, ad amplissimam dignitatem, & gloriam ita educatum, atque institutum, vt is omninò euasurus esses, quem nunc sanctissimo ritu veneramur. Sub Hyeronimo amplissimo Cardinali Pamphilio olim Patruo Tuo integerrimo, ac sapientissimo Viro, dèque Republica nostra Lucensi optimè merito INNOCENTIVS vt esses, prima innocentis, ac togatæ militiæ stipendia meruisti laudatissima. Ibi omnium amor Te primò conuenit, Tibique se nexu coniunxit arctissimo. Rotarum exindè cælestiū voluendarum tyrocinium in Romana Rota vertenda velut alter Hercules posuisti. Vox tonitrui Tui, Iuris prudentiæ nimirum, ac sapientiæ, in Rota, primos

vniuerso terrarum Orbi sonos eminus edidit; vt meritò gloriari potueris in posterum, vel ipsam, quod rarò contingit, à Te sapientem factam esse fortunam, eiusque Rotam, quemadmodum dicitur, trabali clauo defixam immobilem penitus constitutam, redditamq. At enim, vt virtutis Tuæ par Nuncius in alias Prouincias deferretur, Nuncius ipse Apostolicus in Neapolitanum Regnum profectus, & qualis anteà fuisses, & qualis posteà futurus esses, summa cum omnium admiratione demonstrasti. Sed nimis angusti tantæ animæ magnitudini visi sunt ij fines; Romanæ Purpuræ iam maturus eras, quà Te dignissimum Pontificiæ Nunciaturæ munus amplissimo Hispaniarum Imperio potentissimoque Regi præsentem commendaret. Inde eiusdem Purpuræ splendor, diuini amoris ardor, indè honoris fulgor in dies ad excelsissimum vsque Tuæ Maiestatis apicem quam latissimè dimanauit. Adeo vt in hoc Romano Cælo, supremo totius terrarum Orbis theatro, quod ille de sapientibus dixit Sapiens, Tute theatrum fueris omni tempore augustissimum. At quò me vis impetusque Orationis impellit? In immensum enim Tuarum pręclarissimarum laudum pelagus ingresso appellendi ad portum spes nulla mihi affulgeret (cum tamen illud esse proprium singularis modestiæ Tuæ, nouerim, vt quo maioribus exornari laudibus merearis, eò minus libenti aure percipias cōmendationem Tuam) spes inquam appellandi nulla prorsus adesset mihi, si non humanitatis Tuæ veluti Cynosura dirigeret me, votaque meorum Lucensium ad tutissimum tantæ Maiestatis alliceret sinum.

Exultat

Exultat ergo Lucensis Ciuitas, dum secum animo reputat magnos Christiani Orbis Reges, ac Principes, illum præcipuè Pontificem habuisse, quem summis anteà votis præoptauerant. Qui nimirum in virga aurea Charitatis, & amoris mundum regeret, dissidijsq; bellorum seiunctos animos iterum iungeret, solidoque pacis optatissimæ fœdere confirmaret. Gestit animo dum cogitat Purpuratos Vos Principes in eo Pontifice deligendo fuisse concordes, qui Ecclesiasticam Rempublicam sanctissimis in posterum innocentiæ legibus INNOCENS ipse ter Maximus moderari posset. Qua propter gratias vobis agit Immortales Respublica nostra, quod Orbi, quod Vrbi, quod sibi beneficium omnium longè pulcherrimum contulistis; Orbi, quia Innocentium, Vrbi, quia Pamphilium, sibi, quia Patronum dedistis optatissimum. Intelligit nimirum eundem illum esse, de quo iam diù vulgatum Sanctissimi Antistitis Malachiæ vaticinium passim circumferebatur.

Hic erit iucunditas Crucis.

Neque verò sine Diuino sanctissimi Spiritus afflatu accidisse credimus, vt ipso triumphantis, & Exaltatæ Crucis die, quem Lucenses celeberrimo pietatis ritu colunt, ad Te summo huic Imperio præficiendum Diuino sese numine Purpurati Patres, ita sentirent impulsos, vt Te postera die in Pontificem Maximum admirabili omnium animorum consensione delegerint, ac vniuersorum acclamatione lætissima eiusdem articulo temporis adorauerint. Quia verò Lucenses Cru-

cis

cis, lucisq. nomine decorantur, vaticinium huiusmodi nobis etiam, Tua ista benignitate annuente vsurpare permittatur. Tu nimirum eris BEATISSIME PATER & Crucis, & lucis nostræ, Senatusq., ac Reipublicæ Lucensis iucunditas. Tu perfugium tutissimum, Portusq. nostræ quietis, tranquillitatisq. Tu inquam eris iucunditas almæ nostræ Crucis, in qua Diuina Sanctissimi Vultus Effigies Redemptoris auguste, sanctæq. renidet, & quam Lucensis Ciuitas ita semper religiose venerata est, vt hoc vno sacrosanctæ Crucis nomine iam fermè Luca ipsa intelligatur. Quamobrem vobis amplissimi Principes hoc vno pro merito beneficioq. laudatissimo, æternum sese deuinctam forè profitetur. Tibi igitur BEATISSIME PATER iure quidem optimo Lucensis nostra Respublica, & nos ad hoc destinati munus Oratores, vti publici animorum interpretes, Senatorum, ac Ciuium omnium exultantium Vota repræsentantes, & ad sanctissimos tuos Pedes de more procumbentes vniuersam Ciuitatem, vt quæ inter Etruscas Vrbes prima Christum Dominum Beati Petri opera cognouit, primam nunc, in hoc Publico Purpuratorum Patrum Consistorio sacrosanctæ Maiestati Tuæ venerabundam sistimus, ac genuflexam.

Teq. D. Petri Apostolorum Principis legitimum successorem, ac totius Ecclesiæ Caput, vniuersorumque Christifidelium Parentem libentissimis animis agnoscimus, confitemur, colimus, & adoramus, Tibiq. inter mortales Dei Optimi Maximi personam sustinenti debitam Obedientiam sincerè, atque ex animo præstamus; Sanctissimisq. verbis eam præstituros perpetuò Tibi, & huic Sanctæ Romanæ Apostolicæ Sedi

vna-

vnanimes constantissimè pollicemur.

Peculiarem tamen præ cæteris obseruantiam spondemus, qua Lucensis Ciuitas Romanos Pōtifices, vti Diui Petri Filia in Etruria primogenita semper sese prosequtam fuisse gloriatur. Quicquid sumus, quicquid habemus huius sanctæ Matris Ecclesiæ obsequijs, Tuisq. vouemus, dicamusq. Hoc vnum tamen abs Te humillimo, intimoq. cordis affectu supplices imploramus, atque obtestamur, sereno, placidoq. vultu Senatum, ac Rempublicam nostram Lucensem humanissimè respicias, eandemq. Patria, & Pontificia charitate complectaris, vna cum sapientissimo hoc Principum Senatu, quem enixè, humiliterq. rogamus, vt in omnem consequturi temporis ætatem sub tuæ aura Clementiæ Pontificiæ, sub aurea Liliorum tuorum vmbra, LIBERTATIS aureæ lucem cādidam purpuream q. Lucensiū vniuersus terrarum Orbis enitere cognoscat. Annue votis nostris BEATISSIME PATER dum Tibi faustissimum, maximèq. diuturnum ad Senatus Populiq. Lucensis, totiusq. Orbis Christiani incolumitatem venerabundi precamur imperium, quod, vel ipse nostrorum obiectu corporum tueri parati sumus. Illud interim ab immortali Deo vnicè flagitamus vniuersi, vt Maiestatem istam Tuam sacrosanctam, quam hac augustissima Purpuratorum Principum corona, veluti redimitam adoramus in terris, eam tandem post annorum longissimam seriem, quæ vna tibi felicitas felicissimo superest, tanquam proprium, ac tutelare Numen venerari valeamus in Cælo.

D I X I.

RE-







RESPONSIO

ILLVSTRISS.MI AC REV.MI DOMINI

GASPARIS DE SIMEONIBVS

SANCTISS.MI D. N. SECRETARII.





V A M iam olim ab se partam vidit Lucensem Ciuitatem Roma; cùm non ipsa sui capax, vna eadem, & multiplex, alias in Vrbes verteret sese, ac diffflueret; excipit ad se nunc reducem, veræq. Religionis venerabundam intuetur, cuius & animo volenti haustæ, & constanti seruatæ, iure sibi laudem Luca vendicet, ex quo primùm ad hanc Orbis arcem Petrus, Diuino afflante Spiritu, aduolauit, facturus illam salutis perfugium, Fidei stationem, cortinam Veritatis: vt iamtum, cum Roma pariter & ipsa regenita, Parenti sese fermè coæuam, ac germanam agnosceret. Desponsam porrò per Vos, Oratores, genere, ac virtute præstantes, Sanctissimo Domino Nostro, Lucensis Reipublicæ nomine, Fidem, atque Obedientiam, & veteri illo, & consecutis pietatis autho-

authoramentis deuotam sibi, cum Venerabilibus Fratribus S. R. E. Cardinalibus, sanè quàm hilarè accipit Sanctitas Sua, vnaq. ipsa, quam colitis, Romana Ecclesia, beneuolentia sæpiùs, atque ope tutata Maiores vestros; quibus à Tyrannorum vi, populorumq. seditione vindicandis, ac tegendis, pandentem illam sinus, ac tota veste identidem vocantem priora secula conspexere. Nec minùs idipsum in Romano Pontifice Christus Dominus obsequium repetat à vestra Republica; quam, religioso miræ suæ Imaginis cul-
Psal.15.10. tu, perenni cum vultu suo lætitia adimplet; vt exin-
Isai.52.1. dè, annuentibus Superis, *Ciuitas Sancti*, appellari meritò illa posit. Tot nominibus addictam Cælo, atque Apostolicæ Sedi vestram Rempublicam Sanctissimus Dominus Noster paternè complectitur; &, quas humaniter in illum laudes contulistis, referendas in Deum ratus, eius ope firmatam Pontificiæ responsionem caritatis, vestris ornamentis per omnia expositam, pollicetur: optatque vehementer, iucundæ magis, quàm necessariæ hortationis sensu, liberam vestræ Vrbis administrationem, ista, quà præstatis, pie-
Iacob.1.25. tate perpetuò adstringi: ea nimirum lex perfecta libertatis est; ad quam minùs innixa, procliuiùs ruant, soluta humanæ prudentiæ iura; Diuino commonente
2 Corinth. 3.17. Oraculo, *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas*.

In hanc sententiam respondere me iussit Sanctissimus Dominus Noster.

